



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

801. An, & qualiter acquiratur possessio per investituram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

quàm ea solemnitas peracta sit, non censetur ac-
quisita possessio. Laym. loc. cit. citans Abb. ubi
ante. num. 7.

*Quaestio 799. An, & quid hac in parte
speciale sit circa resignatarium, an, & quali-
ter is capere possit aut debeat possessionem?*

Respondet primò Paris. de resign. lib. 10. q. 6.
n. 27. & 31. communem opinionem esse, &
ita servari de stylo & praxi, quòd resignatarius
non possit proprià auctoritate capere possessio-
nem, alioqui esse nullam, & jure attentatorum re-
vocari. citat pro hoc Pontan. de spol. l. 1. c. 9. nu. 94.
& Roffinacum de benef. c. 12. n. 13. hinc debere re-
signatarium requirere loci Ordinarium, vel alium,
ut stante resignatione & provisione, illum mittat
in possessionem, qui solet accedere, vel mittere
alium in loco beneficii, & ibi tradere resignatario
possessionem per introitum & osculum ad altare,
per traditionem clavium vel bireti, vel aspersio-
nem aquæ lustralis &c. & Notarius præfens con-
fiscit de hoc instrumentum. Paris. l. cit. n. 45. 46. 47.
citans Rebuff. in pr. de miss. in possess. num. 12. & 13.
Roffinac. ubi ante.

2. Respondet secundò cum distinctione aliqua
Card. de Luc. de benef. d. 37. n. 12. dum ait: quòd
possessio capta per resignatarium, non citato resi-
gnante possessore, neque adito Executore deputa-
to in literis, sit invalida & vitiosa; quia necessitas
adeundi Executorem procedit in gratia in forma di-
gnum, continente mandatum de providendo, seu
provisionem conditionalem, quatenus Executor
provisum idoneum & dignum repererit, ideòque
nulla & intrusoria censenda est possessio, quam si-
ne facto Executoris provisus ita apprehendit. Se-
cùs autem est, ubi agitur in forma gratiosa; tunc
enim licet deputari soleant Executores in literis,
attamen id fit in gratiam & favore provisum, cui
Executor assistat, & opem & brachium auctori-
tate Apostolicà præstat adversus oppositores de fac-
to; non autem quòd præcisam necessitatem ha-
beat ipsum adeundi; quia verius est, provisum in
forma gratiosa posse capere possessionem proprià
auctoritate, abque necessitate citandi resignan-
tem; quoties resignatio est pura. citat pro hoc
Garc. p. 5. c. 2. n. 133. Paris. de resign. l. 10. q. 3. n. 53.

*Quaestio 800. Quomodo acquiratur pos-
sessio beneficii per collationem; vel si non,
quid huic superaddatur per possessionem?*

Respondeo ad primum: possessio beneficii
non transfertur juxta c. Bertholdus, de re judic.
Paris. de resign. l. 10. q. 6. n. 4. citans Rebuff. in pr. tit.
requisita ad collat. n. 22. est enim possessio quid facti;
ideòque ad alium non transit, nisi sit per eum ap-
prehensa. l. cum heredes, ff. de acquirend. possess. Paris.
loc. cit. num. 6. citans Rebuff. tit. de permut. n. 17. &
Paris. conf. 96. n. 3. vol. 4. Et regulariter loquendo,
possessio non transit in quempiam ipso jure. l. Pom-
ponius, l. cum heredes, ff. de acquirend. possess. Paris. l. 3.
q. 8. num. 54.

2. Respondeo secundò: quamvis possessio ad
collationis perfectionem necessaria non sit. Cas-
trop. cit. p. 32. in beneficialibus tamen corroborat
titulum. Paris. de resign. l. 7. q. 1. n. 101. citans Rotam
decis. 10. n. 1. de prab. in antiq. Et licet ex sola cano-
nica institutione seu collatione abque traditione
aut apprehensione possessionis jus in illo beneficio

acquiratur provisus, c. ult. de concess. prab. in 6. & ibi
DD. communiter, Paris. l. 10. q. 6. n. 2. citans in spe-
cie Anchar. Gemin. Franc. in cit. e. Abb. in c. cum
autem. & cap. suggestum, de jurep. ita ut si provisus
post acceptatum à se, vel per procuratorem benefi-
cium moriatur ante apprehensam possessionem,
beneficium verè vacet per mortem illius, Paris.
ibid. num. 54. loquens in specie de resignatario:
jus tamen illud efficax non est, antequam provisus
capiat possessionem. Paris. cit. q. 6. n. 3. citans Re-
buff. conf. 186. n. 19. quo fit, ut ante apprehensam
possessionem provisus non possit administrare in
beneficio sibi collato. Paris. loc. cit. n. 7. citans Abb.
in c. transmissa, de elect. Selv. p. 2. q. 15. Feder de Senis
conf. 234. Franc. in c. eum, qui, de prab. in 6. Rebuff. de
pacificis possess. n. 234. & 251. cum communi; de quo
tamen vide dicenda ex Laym. questione post hanc
tertia. Nec fructus percipere. Paris. ibid. n. 8. citans
C. Parisium conf. 5. n. 21. & 22. & conf. 39. n. 7. vol. 4.
Porro contrarium de installatione tradit Lott. l. 1.
q. 27. n. 24. ubi quòd Abbas & Episcopus confir-
matus post ostensas Conveniunt vel Capitulo lite-
ras ante installationem possit administrare in spiri-
tualibus & temporalibus, & percipiendis fructi-
bus; nisi habeat aliud consuetudo; quod tamen,
credo, intelligit de installatione diversa ab ea, quæ
fortè traditur possessio.

*Quaestio 801. An, & qualiter acquirat-
ur possessio per investituram?*

Respondeo primò: investitura, seu institutio
in beneficio, quæ fit in absentia rei per annu-
lum, vel bireti impositionem, non tribuit possessio-
nem corporalem, Argumento c. proposuit, de concess.
prab. Laym. ibid. n. 3. Idem habet in c. nosti, de elect.
n. 5. ubi: possessio per investituram, etiam quæ fit,
seu habetur post tituli collationem, vel institutio-
nem in beneficio, ordinariè non transfertur, Ar-
gumento l. pradia, de acquirend. possess. c. perpetuas, de do-
nat. juncta gl. sed plerumque tantum est significa-
tiva juris antea accepti, nec non facultatis posses-
sionem vacantem intrandi vel acquirendi, aut eam
petendi, si ab alio corporaliter introducendus est
investitus, uti idem præstat investitura, dum hac
interdum fit, unà cum verbali institutione, seu ti-
tuli traditione, nisi quòd hæc præterea contineat &
significet translationem juris & tituli. eadem ha-
bet Laym. in disp. de Prælat. q. 113. & Theol. mor. l. 3.
tr. 1. c. 7. Idem sentit Lott. l. 1. q. 27. n. 27. contrarium
sentire videtur Paris. l. 7. q. 2. n. 103. ubi: quasi pos-
sessio beneficii non acquiratur, nisi ex investitura
facta à persona Ecclesiastica ad hoc deputata, citat
pro hoc Rebuff. in pr. tit. de missione in possess. nu. 11.
Sic neque sufficit à potente tradere possessionem,
data investitura signo aliquo manifestata, nempe
pileo, libro, annulo; quia hæc investitura solum
opere confirmat collationem, seu institutionem
verbo factam, vel saltem dat licentiam & facultatem
ipsi instituto, ut beneficii vacantis possessio-
nem apprehendat; non tamen est ipsa beneficii
possessio, quæ corporalem traditionem beneficii
expostulat. Castrop. cit. p. 32. n. 7. ex Covar. l. 3. var.
c. 16. num. 10. Quamvis etiam nu. 4. Castrop. dicat,
talem investituram factam à Prælato collatore, ha-
bente simul potestatem tradendi corporalem pos-
sessionem beneficii, censeri debere vel ipsius pos-
sessionis traditionem, vel saltem facultatem eam
apprehendendi; siquidem ad perfectionem colla-
tionis necessaria non est.

2. Respondeo secundò: nihilominus fieri potest, ut interdum per talem investituram tradatur possessio beneficii vacantis, dum nimirum in conspectu ipsius rei seu beneficii fieret hæc investitura. Argumento l. quod meo. ff. de acquir. possess. l. clauibus. ff. de contrah. empr. Laym. Castrop. Covar. h. cit. siue investitura hæc fieret tradito anulo, libro, pileo, aliòve signo; siue verbotenus tradatur possessio, ut Castrop. ex Covar. idque vel ab antiquo possessore, vel eo, qui Ecclesiæ vacantis custodiam cum auctoritate habuit, Laym. loc. cit.

Quæstio 802. An, & qualiter acquiratur possessio per installationem, vel intronizationem?

1. Respondeo ad primum: installatio, si quæ idem est, quod investitura, quando præcessit confirmatio (vel etiam, quod idem est, dum præcessit legitima collatio) non est actus per se tribuens possessionem aut proprietatem, utrumque enim pendet à confirmatione seu collatione. Lott. l. 1. q. 27. n. 27. Nec obstat, quòd, ut tradit Gonz. gl. 15. §. 2. n. 87. vi reg. tertia Cancell. vacet Sedes Episcopalis usque ad provisionem illius, adeptamque à provisione pacificam possessionem, nam eth id verum, nimirum eousque censeatur vacare Sedes in Ordine ad certum & singularem effectum, videlicet durationis, reservationis, de qua in dicta regula, non tamen id propterea trahendum ad alios effectus. Lott. loc. cit. n. 28, citans Rotam decis. 475. n. 17. p. 1. recent. tradit nihilominus Laym. ad c. nosti. de elect. num. 5. quòd solennis illa & corporalis inductio in possessionem (quam olim solebat facere Archidiaconus c. ad hac. de off. Archiduc.) solita sit vocari installatio, & priusquam ea solennitas peracta sit, in locis, ubi sic habet consuetudo, possessio non censeatur acquisita, ut Abb. in c. cum nuper. Sic quoque ex generali consuetudine modum principalem apprehendendi possessionem Canoniciatus esse, & fieri per assignationem stalli in Choro, ait Lott. l. 3. q. 5. n. 28. in quo tamen modo id observandum monet n. 29. ut assignetur stallus proprius; eò quòd aliàs non transferatur possessio.

2. Respondeo ad secundum: multò minus traditur aut capi possessionem per intronizationem, ubi in quibusdam Ecclesiis consuetudo est, ut electus, cum primum electioni consensit, intronizetur, vel in altari collocetur; quia hæc est mera solennitas ad significandum, illi jus ad Prælaturam inchoativè acquisitum. Laym. in cit. c. nosti. n. 5.

Quæstio 803. An per hoc, quòd electus vic. c. nihil. de elect. ut Laym. ibid. n. 11. ante confirmationem administret, censeatur acquisivisse possessionem Prælaturæ?

Responder Laym. loc. cit. cum gl. in idem c. v. administrent. quòd Prælatus electus sit in quasi possessione, quia prælaturam quasi suam, seu quasi jus in ea habens tenet, idque non tantum propter canonicam electionem, ex qua ipsi actio nata est, ut confirmetur (qui autem actionem habet, quasi rem ipsam habere videtur. reg. 15. ff. de reg. juncta gl.) sed etiam propter citati c. nihil. assistentiam, tributis in plenam administrationem, perinde ac si confirmatus esset, excepto quòd nihil penitus alienare possit: quemadmodum simili ratione maritus res dotales tanquam suas tenet propter plenam, quæ ipsi à lege tributa est, administrationem, h. si

prædium. c. de jure dorum. & sicuti tamen hæc possessio mariti est veluti provisionalis, durans interim, dum matrimonium consistit, ita etiam illa possessio Prælati necdum confirmati durat interim, donec de electione, instituto examine, sententia feratur; nam si confirmetur electus, corroborabitur possessio; si autem cassetur, aufertur male electo possessio hæc, illud hic occasione hujus notandum, quod Laym. ibid. n. 12. ait, nihil sibi occurrere, quo minus vigore citati cap. nihil. & propter necessitates & utilitates Ecclesiarum, si alicubi appareat, & experientiâ sit cognitum, male rem administrari, & Prælaturæ vacanti detrimentum inferri, si Capitulum administrationem gerat, ejusdem cap. licentia in praxin deduci possunt, ut in Ecclesiis Germaniæ, etiam Archi-Episcopalis & Episcopalis in concordia electus, interim, donec à Papa confirmationem accipiat, in spiritualibus & temporalibus administret.

Quæres 804. Qualiter capiatur possessio corporali inductione, seu traditione beneficii?

1. Respondeo primò in genere: in possessione cujuscunque beneficii capienda, debet servari statutum & consuetudo rationabilis loci, alioqui potest annullari. Parif. de resgn. l. 10. q. 6. n. 43. citans C. Parif. conf. 65. n. 8. vol. 4.

2. Respondeo secundò: si beneficium habet suam Ecclesiam vel altare, debet ibi capi possessio. Corrad. in pr. benef. l. 4. c. 7. n. 44.

3. Respondeo terriò: sufficit autem altaris osculum, similisve ritus factus in Ecclesia: imò etiam per tactum annuli januæ Ecclesiæ claustræ acquiritur possessio. Corrad. ibid. n. 41. citans Natam conf. 563. n. 13.

4. Respondeo quartò: quòd si nec id fieri possit ex causa aliqua, v. g. quia impediretur violenter etiam ab adversario aliquo talis captio possessionis, sufficit etiam ocularis inspectio Ecclesiæ beneficii (idem est de altari aut de capella, sita in Ecclesia) licet enim iste modus apprehendendi possessionem sit reprobatus à jure, stante tamen tali impedimento, poterit Notarius per aspectum similemve alium modum factum possessionem eam tradere, juxta l. cum unus. §. ult. cum l. seg. ff. de bonis auth. jud. possid. Corrad. cit. n. 41. & manutenendus esset in possessione, qui hac ratione eam acquisivisset, etiam si impedimentum illud non probaretur, nisi per attestationem ejusdem Notarii juxta decis. Rotæ, ut Corrad. num. 42.

5. Respondeo quintò: si beneficium non habet Ecclesiam seu Capellam materialem, eò quòd ob temporis antiquitatem ignoretur locus intitutionis, vel etiam is incursum hostium destructus, sufficit, captam esse possessionem in quadam mansaria beneficii, ut Corrad. num. 43. dicens, sic decisum à Rota decis. 181. n. 6. divers. in recent. seu apprehendere possessionem prædii alicujus ipsius beneficii, potest enim conservari substantia beneficii, necdum in denominatione Sancti alicujus, sub cujus invocatione institutum, sed & in simplici nuncupatione beneficii, etiam relato vocabulo ad prædium aliquod; & sic in eo, seu in reliquis conservetur ipsius beneficii ens, ut Lott. l. 3. q. 4. num. 67. juncto n. 63. & quòd, dum possessio apprehenditur, naturali apprehensione deficit, actus implet. l. 1. §. Notarius. 161. Gl. v. naturali possessione. ff. de acquir. possess. Lott. loc. cit. n. 68.